



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

22. Quis sit optimus & maxime probandus modus ministrandi hoc
sacramentu[m] te[m]pore pestis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

QVÆSTIO XXII.

Quis sit optimus & maxime probandus modus ministrandi hoc sacramentum tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

EXpediimus duas partes huius capituli: diximus enim primo, qui teneantur hoc sacramentum ministrare: secundo, quibus illud ministrari debeat, vel non debeat. Restat postrema, ut despiciamus quibus modis tempore pestis ministrari possit, vel non possit. Et imprimis quaeritur, quis sit modus optimus & maxime probandus ministrandi hoc sacramentum?

Responsio.

Ille est, quod substantialia maxime certa, hoc est, oleum oliuarum ab Episcopo benedictum, & verba quæ proferre debet sacerdos inungendo: *Per istam vnctionem:* quæ habes in (a) parochiali. Et cæremoniæ Ecclesiæ, ut sunt orationes, & Psalmi, obseruantur, quantum periculum tum ægroti, tum ministrantis patitur. Singula fere ex præcedentibus satis, & certa, & clara sunt.

Dixi, (*cæremonia obseruantur*) quia per se hoc postulat reuerentia sacramenti.

Dixi, (*quantum periculum tum ægroti, tum ministrantis patitur,*) quia ex utroque capite tempo-

a pag. 132.

tempore pestis euenire solet, vt sola substā-
tialia ministrari debeant, ne si accidenta-
lia substantialibus vnctionibus præmit-
tantur, interim æger sine sacramento de-
cedat, vel ipse ministrans peste corripia-
tur.

Dices: Quale peccatum est in admini-
stratione huius sacramenti peste infectis
præmittere accidentalia substantialibus?

R. Ordinarie est mortale, quia com-
muniter propter cæremoniariū multitudi-
nem & prolixitatem periculum est, ne pe-
ste infecti moriātur, antequam ad substan-
tialia deueniatur: poterit tamen per inad-
uertentiam esse veniale: vel nullum, quan-
do scilicet pastor vel non aduertit esse pe-
stem, vel per ignorantiam & inexperientiā
non aduertit symptomata pestis, & instan-
tem articulum mortis.

QVÆSTIO XXIII.

*Quid sit censendum de modo ministrandi illorum,
qui inungunt peste infectos oleo rosaceo, aut
ex aliis floribus vel herbis
expresso?*

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Occurrunt in agris, &
sylvis peste infecti petentes sibi mi-
nistrari

Ee 5